DE VERA VIRTVTE,

Q V A M

VETERES NONNVLLI,

RECENTIORESQVE, PHILOSOPHI

VACVVM ESSE NOMEN

SCRIPSERVNT,

A C R O A S I S

D. SERVATORIS DE RIVA,

Congregationis Clericor. Regvlar.

D. Pavlli Sacerdotis.

LVCAE MDCCLXVII.

Typis Iohannis Riccomini.

Cenſorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

De vera Virtute.

VIrtutem, qua nihil antiquius, aut ſanctius, Mortalibus datum eſſe intelligimus, quamque una cum naturali iure ortam, et divinitus copulatam, accepimus, ut, duce illa, atque comite, ad comparandam felicitatem erigeremur, Virtutem, inquam, bene vivendi magiſtram, cuius vi, ac pulchritudine, in bonum flexi rapimur, atque ad honeſtatem informati ſumus, Virtutem demum, auditu iucundam, Sapientibus probatam, Omnibus apprime caram, non abs re duximus, neque ab inſtituto noſtro alienum, ante oculos Bonorum ſiſtere in praeſentia, ut quae de ea male cogitata ſunt, aut ſcripta, conſtantes, ut decet, Viros

Digitized by Google

ad ipſam excolendam, ſuſpiciendamque, nullo modo distrahere, aut divellere, unquam poſſint.

Sentio enim probos Homines commoveri vehementer, atque iraſci nonnullis tum veteribus, tum recentioribus, Philoſophis, qui, beneficium tam ſingulare corrumpentes, illas crebris uſurpant ſermonibus impudentes voces, quas ab exulcerato animo poſtremus Romanae libertatis vindex effudit *Brutus* (o vacuum Virtutis nomen!), quaſi vero Virtus, praeſtantiſſima illa moderatrix, et regina animorum, nihil veri praeſeferat, nihil constantiae, et firmitatis, ſed inſtabili quadam, ac nutanti fortuna aberret, prout nutant, et colluctantur ſententiae, atque iudicia Hominum, qui vitium a Virtute differre non arbitrantur, niſi ob quamdam percipiendi, atque opi-

nan-

nandi ſpeciem, formamque diverſorum Populorum Naturae accommodatam, eorumque arbitrio, ac moribus, conſentaneam.

Verum, quum tanta, et tam atrox, in Virtutem iniuria minime sit ferenda, audendum iccirco eſt, maximeque enitendum, ut fulgidiſſimus eius ſplendor nulla errorum obſcuritate adumbretur. Nam quis perculſam viderit, ac pene proſtratam, Virtutis dignitatem, et celsitatem, quin ad eam erigendam, ſuſtentandamque, ſtudium, atque animum, adiunxerit?

Aristippus (*a*), ut omittam ceteros, qui eadem in ſententia verſati ſunt, ille, inquam, *Ariſtippus*, feſtivus Religionis irriſor, et naturalium legum imprimis contemtor, cenſuit, nihil eſſe ſuapte na-

(*a*) Diog. Laërt. II. 55. 93.

tura bonum, nihil iuſtum, nihil honeſtum, ſed quidquid eſt, qualecumque illud ſit, aut vitium dicatur, aut Virtus, id tantum a vulgari uſu, atque inſtituto proficiſci. Quare nihil criminis in ſapientem Virum cadere, nihil turpitudinis, ſed rapinas, ſacrilegia, adulteria, ſcelera denique omnia, licere Omnibus, quum haec fieri impune, et abſque ullo timore, poſſint.

Verum, ſi Cyrenaicae hic Scholae Princeps ſubtili animadverſione rerum principia inveſtigaſſet, atque ad originem ſe convertiſſet, ex qua Humanae omnes profluunt operationes, facile quidem in ſe ipſo initium inveniſſet tanti diſcriminis. Habemus enim in animis quaedam conſperſa Virtutis ſemina, quibus, ſimulatque ad firmiorem aetatem quiſpiam acceſserit,

ſuo-

ſuopte ingenio ad vitam beatam fertur. Et ſane quae unquam eſt Natio tam efferata, et ab omni humanitate avulſa, atque remota, quae, quum affulgere ſibi inſpexerit Virtutis imaginem, ad ipſam ardenti mox amore expetendam minime alliciatur? Quae Gens, quae Barbaria, tam rudis, rerumque omnium ignara, quae honeſtatem, probitatem, clementiam non admiretur, quaeque non moveatur et offenſione turpitudinis, et comprobatione beneficientiae? An inter Homines, lumine rationis corroboratos, inveniri aliquis poterit, qui maleficos, qui crudeles, qui ſuperbos, ingratoſque non execretur?

Pone hinc ante oculos *Laodicem*, mortiferum illud poculum coniugi *Antiocho* exhibentem, *Ptolemaeum Philopatorem* in omnia fla-

gitia ſeſe ingurgitantem, *Tiberium* impudiciſſimum, aut *Nabidem* crudeliſſimum, qui exceptos inter ulnas illius ad ſaevitiem conſtructae apegae Lacedaemones torquere, aculeiſque excruciare, conſueverat.

Da illinc *Portiam*, latus sibi ferro pertentantem, ut *Bruto* oſtendat, dolore taciturnitate compreſſo, Romanam nec officium prodere, nec fidem. Da magnanimum illum, prodigumque vitae, *Leonidam*, aut *Fabium*, qui, repreſſa hoſtium vi pro ſalute Patriae cum Sociis, ad eamdem laudem natis, ſua capita voverunt. Da praeterea *Phocionem* hominem frugi, qui paupertatem in deliciis habuit, da tandem *Ariſtidem*, quo nemo fuit iuſtior, nemo continentior, nemo integritate morum incorruptior.

Accedat inde Barbarus aliquis in ſylvis enutritus, qui nulla unquam

tum

tum vitiorum, tum Virtutum, exempla perſpexerit, quo fiat, ut omnibus praeiudiciis vacuus, poſſit arbitratu ſuo roſeam coronam deferre Ei, qui ſibi Omnium digniſſimus videatur: An ne, conlatis inter ſe ſingulorum meritis, putandum eſt, Barbarum illum, *Ariſtide*, *Phocione*, Aliiſque poſthabitis, *Ptolemaeum*, et *Tiberium*, et *Nabidem*, et *Laodicem*, audita conſcientiae voce, ſe eſſe praemio donaturum?

Nemo ſanus hoc dixerit, nam altrix illa, atque gubernatrix ingenii, ratio, tot colluſtrata luminibus, nequit non percipere boni convenientiam, quae cum Virtute coniungitur, neque tanta fingi poteſt barbaries, quae vitii deformitatem non reformidet, quo ſe cumque prodere enitatur. Quid plura? Tanta eſt vis, tantaque huius con-

ve-

venientiae boni cum Virtute connexio, ut nuperis etiam temporibus horridiores non deſint, ferocioreſque Africae Populi, qui, naturali tantum aequitatis notione ducti, tam iuſtas ſententias in caussis diſcutiendis ferunt, ut nihil deſiderari melius poſſit ab Iis, qui, legum myſteriis quotidie addicti, caussarum pertractandarum peritissimi exiſtimantur.

Non ignoro, *Montaignium* (*b*), illum *Pyrrhonis* ſectatorem, adserere, nec tot contentiones inter Philoſophos iamdiu excitatas fore, nec novas in dies emerſuras, ſi boni, malique, notio in Animis eſſet inſculpta. Neque, ſi iura naturalia tanta, ut aiunt, firmitate, atque ſtabilitate, gauderent, Alter iudicaret, tale aliquid eſſe bonum, quod

(*b*) Eſſai Lib. 2. Cap. 14.

quod malum ab Altero decernitur. Imo, ſi tantum conſtantiae, et certitudinis, iis iuribus inhaereret, non ſolum eorum numerus augeri, vel minui, non poſset, ſed ne deleri quidem, atque omnino reſtingui: id quod a Pluribus fieri compertum eſt.

Sed huius pace dicam Philoſophi, quantum ipſe ingènii in philoſophicis ſuis ſcriptionibus promit, tanto latius protrahere viſus eſt ſcepticas dubitationes. Non enim ſatis accurate animadvertit naturalis iuris regulas, quum immutabiles nuncupantur, non perpetuitatem illam, atque immutabilitatem praeſeferre, quae Humani generis originem, Divinamque inſtitutionem antecedat. Nam, quum hae leges Deum non afficiant, neque Illum ullo modo ſpectent, patet haud coaeternas Deo eſſe poſſe, et

ſo-

ſolum aeternas tum dici, atque immutabiles, quum denique Humanis legibus comparantur, quae variis perſaepe mutationibus, imo et abrogationibus, sunt obnoxiae.

Ceterum non eſt ambigendum, dubitandumve, de naturalium legum certitudine, vel stabilitate, ob diſcrepantiam Philoſophorum, inter ſe dimicantium, ut earumdem numerum ſtatuant, demonſtrationemque conficiant. Nam, ſi veritas naturalium harum legum aliquo modo Philoſophantium arbitrio ſubiiceretur, quemadmodum Plures non defuere, nec deſunt hac etiam tempeſtate, qui novarum rerum conditores haberi volunt, atque architecti, fieret, ut lex Naturae in tanta opinionum varietate fluctuans ſemper, atque indeliberata haeſitaret. Sed velint, nolint, Philoſophi omnes, conſtans eſt,

at-

atque perpetuus, Naturae ordo. Natura enim numquam propoſitum mutat, aut inſtitutum. Et, ſicuti nullum eſt geometricum theorema, cuius veritas non ſit re demonſtrata immutabilis, ita tamen, ut, si de veritate ſubſequentis dubitaretur, neceſſarium eſſet propter arctiſſimam rerum connexionem, veritatem etiam primi theorematis fluctuare, planeque corruere, quod fieri nullo modo poſſe exploratum eſt: ita, quum in Deo aeterni ſint, ac firmiſſimi, rerum ordines, uniuſque ad alterum reſpectus, ſequeretur, propter hanc ipſam connexionem, defuturam eſſe, ac plane interituram veritatem omnem, ſi fluctuarent in Deo eiuſmodi ordines, aut reſpectus, ex quibus oritur omnis veritas; quod quis audeat dicere?

Neque hic audiendus eſt *Bailius*, qui legem naturalem cum ſac-

cha-

charo comparat, ut arbitrariam eſſe eam deinde inferat, quemadmodum iuxta ipſum, etſi contra communem experientiam, ſacchari dulcedo eſt, quam non a natura, ſed ab opinione, progigni perperam arbitratur. Actiones etenim, quas vocant morales, nec honeſtae ſunt, nec turpes eſſe poſſunt, niſi eiuſmodi ſint a natura. Et licet demus, opinionem, ſive errorem phyſicum, decipere quoſdam poſſe Homines inſipientes, quod numquam de omnibus conceſſerim, qui ſani ſunt: contra tamen eſt, quum de moralium incertitudine principiorum agitur, quorum error quum ſit omnium maximus, utpote qui et mores adficiat, et Religionem, confundantur neceſſe eſt, ſusdeque vertantur omnes rerum notiones, omneſque praeterea veritates infringantur, ac dilabantur: quod abſurdiſſimum eſſe

ſe per ſe patet, et etiam ex dictis falſissimum. Nam, quum honeſtum, iuſtumque in admirabili ordine, iuſtitia, et aequitate Divina ſit collocatum, eam debet naturam immutabilitatis ſequi, qua immutabilis eſt iuſtitiae, atque honeſtatis effector, Deus. Quare nec *Lockio* plaudendum eſt, quod huic ſententiae quodammodo accedere videatur, licet mitiori ſenſu, illoque praeſertim conſilio, ut oſtendat, nullum Virtutis, nullumque morum, principium inſitum in nobis eſſe.

Propoſita quaedam fuit a *Lowdio* non levis ſane momenti difficultas, videlicet *Lockium* (c) de hac re tam ſubtiliter diſſeruiſſe, ut ſuſpicari merito poſſimus, Virtutem voluiſſe in vitium, vitiumque in Virtutem commutare. At *Lockius* reſpondit, ve-

(c) Lib. 1. Cap. 28. §. 7. De Intell. Human.

verum, germanumque ſuae doctrinae ſenſum haud ſatis acu *Lovvdium* tetigiſſe; notato enim loco, ne appulit quidem animum ad morales regulas conſtituendas, ſed potius ad moralium idearum originem demonſtrandam, quin detrimenti aliquid, aut immutationis, earumdem naturae accederet. Praeclare actum cum *Lovvdio*, ſi verba verbis reſponderent, quibus *Lockius* ideas non ſolum innatas omnes proſternere conatus eſt, ſed convellere etiam a mentibus clarissimum ipſum rationis lumen. Ego vero non is ſum, ut *Carteſianis* ideis plus, quam par est, morem geram. Non me fugit tamen, comitem *de Shaftsbury*, qui celebriores inter *Lockii* diſcipulos locum habet, ſatius duxiſſe, ab opinione tanti magiſtri recedere, propterea quod in eam ſententiam venerit, *Lockium* miſerrime in ver-

bum

bum lusisse, et magnum de nomine ſuſtinuiſſe bellum. Porro, quum de ideis ſermo eſt, proprioque vocabulo uti volumus, nequaquam innatae, ſed *connaturales* potius adpellandae ſunt. Non enim hic agitur, inquit (*d*), de puncto temporis, quo huiuſmodi ideae ad mentis aciem pervenerint. Quaeſtio eſt, an ita ſit Homo a natura comparatus, ut, quum ratio unacum aetate adoleverit (citius vero id eveniat, vel paullo ſerius, nil noſtra intereſt), idea, ſeu notitia, boni, iuſtique, et cognitio ordinis, pulchritudinis, divinitatis, certo, et neceſſario in eo minime excitetur.

Quidquid vero ſit, quamquam *Lockio* concedatur, ideas omnes eſſe adventitias, inficiari tamen haud poterit, rationem, aetate aliquan-

(*d*) Caracter. L. 3.

do confirmatam, ſuperno quodam tangi, perſtringique, lumine, quo praeeunte, regula conficitur clarisſima, ac praeſtantissima, qua operationes, bonae, an malae, ſint, ratio ipſa percipere poteſt, et debet, univerſas. Neque vero obſtat, quod multa enumeret morum, horribiliumque factorum, exempla, quorum atrocitatem horret animus recenſere. Intueminor, inquit, civitatem, armis undique obſtrictam, ex inſidiis adortam, deinde captam. Quae incendia, quae clades, quae rerum Divinarum, profanarumque, violationes Omnibus ante oculos obverſantur, quae utique non obverſarentur, ſi Humanos animos aliquis morum ſenſus tangeret, aut pietatis. Extant Nationes tum cultae, tum barbarae, quae ſibi perſuadent, aeque licere filios exponere, ut fame intereant, atque in lu-

cem edere. Humantur alibi ſimul cum Matribus, vel trucidantur, liberi, ſi Augur, aut Aſtrologus, obnunciet, eos ſub rabido ſigno natos eſſe. Mingreliani, doctrinam *Chriſti* profitentes, ſobolem mandunt teneram adhuc, et mollem: quae, et alia id genus, exempla *Lockius* profert, a quibus brevitatis gratia ſuperſedeo.

Verumtamen miror, hominem, in rerum contemplatione adeo verſatum, ad haec tam infirma, tamque nugatoria, momenta confugiſſe, ut experimenta indubia veritatis tutae ſignificaret. Illorum, quos vocant *Incas*, hiſtoria, ex qua *Lockius* materiem disputandi ſumſit, quamque a *Gargilaſſo de Vega* conſcriptam ferunt, non illius certitudinis eſſe cenſetur, quae ſibi Omnium conciliet fidem. Quod adeo verum eſt, ut *Clerchius*, omiſſis

pluribus emunctae naris Criticis, in reſponſione ad *Bailium*, an Atheiſmus quoad ſocietatem Idololatriae ſit anteponendus, eam dignam iudicet, ut inter aniles fabulas habeatur. Sed novum non eſt, *Lockium* de nimia fuisse credulitate ſuſpectum. Auctor etiam, qui *de Homine machina* librum edidit, illum non immerito notat, ac reprehendit, quod ubi ſermonem inſtituit de reali eſſentia, et quantum praecipue ad facultates intellectuales adtinet, adfirmare non dubitaverit, talem Hominem naturaliter eſſe tali bellua inferiorem, eo maxime fretus argumento, quod minime abſurda ſit historia Pſittaci rationalis, quam apud *Templium* ornatum equitem adinvenit, quamque effuſe deſcribit (libro ſecundo de Intell. Hum. c. 23. §. 7.).

Ve-

Verum, quum in opuſculo de *Incarum* imperio *Algarottus*, quem honoris cauſſa nomino, auctoritati et ipſe *Gargilaſſi de Vega* innixus, *Incas* deſcribat, ut Religioſum quoddam, plumque, genus Hominum, qui diſtricto gladio legationibus ſuis, ſive potius incurſionibus, partim concionando, partim dimicando defuncti; Peruanas primum, Chylianaſque Regiones in ditionem ſibi redegerunt, deinde vero; conſtitutis ibi florentiſſimis regnis, provincias finitimas lustrarunt, ut Populi omnes rerum politicarum, ſalutariſque regiminis praeceptis imbuti, diſciplinae, pietatis, obedientiae, Virtutum denique omnium, exempla haberent, ſibi ad imitandum propoſita. Ita quavis expulſa ambiguitate, aut falsitate, ab Hiſtoria, ſpero, *Lockium* mihi facile conceſſurum, ut clara nempe, atque abſoluta ha-

beatur Societatis alicuius cognitio; hanc non eſſe conſiderandam qua parte miſera eſt, corruptionis videlicet, et depravationis, ſed qua integrior eſt, atque perfectior, idest naturalis ſuae conditionis, ac proinde non implicato, aut obtenebrato rationis lumine, ſed nitidiſſimo plane, ac ſano.

Quare nequiter quis de Hominibus iudicaret, ſi oculos in illos defigeret, quum vehementioribus animi perturbationibus, effraenatiſque motibus agitati ſunt, quemadmodum accidere ſolet in urbium aggreſſionibus; vel expreſſas ad vivum tabulas Sylvicolarum exhibere quis crederet, ſi ad eorumdem tantum inelegantes, et ſine palaeſtra, mores omnia referret, nullo autem modo ad principia communia, a parente Natura hauſta et accepta, quae ſine ulla dubitatione ipſis etiam innoteſcunt.

Ad

Ad oras Americanas quum appuliſſent Hiſpani, tam fauſtam navigationem immaniſſima inquinavit caedes. Fracti animo, metuque perculsi, Inſulares omnes, Deos vindices, e caelo fulmina iaculantes, ſibi adpropinquaſſe arbitrati ſunt; nam, quocumque ipſorum oculi incidiſſent, nihil adspiciendum ſupererat praeter luctuoſum, atque acerbum mortis ſpectaculum. Porro, quum Hiſpanus neſcio quis, ferro quidem armatus, ſed Religionis aſſertor acerrimus, dixiſſet, non alia de caussa ſe, vel ſuos ad barbaras illas regiones, adventaſſe, niſi ut Americanis verae Fidei dogmata, ſanctamque Dei legem enunciaret, narrat *Benzonius* (*e*) quemdam ex iis ita reſpondiſſe: ſi tuus, qualiscumque ſit, Deus ita mundum pervagari iubet,

(*e*) Ist. del nuovo Mondo.

ut ſtirpitus omnia convellas, bona quaeque, et fortunas rapias, igni tradas, noſtraſque opes in tuam poteſtatem transferas, et (quod ferarum, non Hominum, proprium eſt,) ut vaſtitate omnia compleas, incognitoſque ſoli huius angulos ſanguine inficias miſerorum, ſcias, et pro certo habeas, nos ab hoc Deo, omnium quidem Deorum truculentiſſimo, ita abhorrere, ut nunquam eius legem, cruore noſtro labefactatam, accepturi ſimus.

Huc *Lockium* urgeo, nam qui dixerit, Americanos, etſi rerum ſcientiarumque imperitiſſimos, nullam habuiſſe iuſti, atque iniuſti, cognitionem, ac proinde nullum ad honeſtos mores igniculum ne ad Virtutem quidem? Si Americanos licet cum Europaeis tantisper comparare, ſane arbitror, feroces illos Victores *Lockio* viſuros eſſe Barba-

ros

ros, illis deteſtabiliores. Fruſtra igitur ad concitatam, furentemque licentiam confugitur, quum luce clarius ſit, ingentem animi motum, nullis conſtrictum, aut mitigatum, fraenis, poſſe, dum vires ſuas exerit, vocem rationis in animo conclamantem ſuffocare, ac ſupprimere. Hoc unum adiiciam, quod, quamquam re non ſatis perſpecta quidquid a *Lockio* deſcriptum eſt, nefandum videtur, et miſerum; minus tamen incrudeſcere novimus portenta illa, ſi aurificis ſtatera, non populari trutina, examinentur. Itaque deferebantur ab egentibus Genitoribus filii indigentiſſimi, ſed non ut fame perirent, aut ab edacibus vorarentur feris, ſed ut comis Viator aliquis cum eis ageret liberaliter, eosdemque enutriret, uſquequo idonei ad labores ferendos fierent, atque inde in mancipium recipe-

ciperentur. Tumulabantur aegri, etſi non adhuc Naturae conceſſiſſent, ſed ſalute iam deplorata, eo videlicet tempore, quo oneroſa eſt cuique miſero uſura lucis, nec tot aerumnis vita defatigata, ſed expedita mors, creditur eſſe beneficium. Humanis quidem delectabantur epulis, ſed iis tantum epulis, quae vindictae cauſſa e capillitio convellerentur inimicorum, ut teſtatus eſt *Cortez*, qui a *Montezuma*, Mexici Imperatore mactari ante Idolum *Vitzliputzli* innumerabilem pene vidit hoſtium manum.

Ceterum Americanos haudquaquam fuiſſe antropophagos, omnes hiſtoriae fatentur. Quod ſi qui ex his agreſtiores filiorum carnibus veſci crediti ſunt, id accidiſſe adfirmandum eſt, aut fame impellente, ut factum ſaepe legimus in obſidione plurium civitatum, aut credula

de

de maleficis ſideribus formidine, quorum ſub influxu qui naſceretur nocere poſſe Patriae, aut Familiae, iis pro certo datum erat.

Quam ad opinionem facilius amplectendam illud praeſertim me movet, quod, ſi res non ita ſe haberet, quum de Populis illis ſermo eſt, et certo conſtaret, Parentes ſuos paſſim vorare liberos, vel liberos ſepeliri unacum Matribus vita functis, futurum plane eſſet, ut quamcitiſſime extirparetur, et funditus tolleretur genus adeo peſtiferum, ſuoque ſanguini inimicum.

Hic tamen *Carneades* ſibi blanditur, aliisque inſiſtens veſtigiis diſputat apud *Lactantium* (*f*), Homines ſibi iura pro utilitate ſanxiſſe, ſcilicet varia pro moribus, et apud eosdem pro temporibus ſaepe mutata;

tata;

(*f*) Div. Inſtit. lib. 5.

tata; omnes et Homines, et alia animantia ad utilitates ſuas Natura ducente ferri, proinde aut nullam eſſe iuſtitiam, aut ſi ſit aliqua, ſummam eſſe ſtultitiam, quoniam ſibi noceret, alienis commodis conſulens. Si veram *Carneades* utilitatis naturam perpendiſſet, quae in commoditate quidem conſiſtit, ſed ſublato alterius detrimento, nihil eſſet cum ipſo nobis diſceptandum. Felicitas enim publica ita eſt cum privata felicitate connexa, ut actiones ipſae, quae ad peculiaris boni progreſſionem eo magis promovendam confluunt, magnam, neceſſariamque vim habeant ad commune bonum longius, latiuſque propagandum. Domicilia, agri, fortunae, eaque omnia, quae possessionis noſtrae ſunt, cognationis habent aliquid, communitatisque cum Pluribus. Quam ob rem perdifficile ſane

ne

ne eſt, ut ad privatum unius uſum, beneficiumque contrahantur. Aër hic saluberrimus, cuius hauſtu ſpiritum vitae ducimus, non ita noſter eſt, ut Aliis vel innumeris eadem non largiatur commoda. Idem plane de induſtria, atque dexteritate noſtrorum corporum, dicendum eſt. Neque Alter, aut Alter excolere terram, ſerere, metere ſibi poteſt, quin et permulti Alii laborum illius fructum percipiant. Amictus ipſi, quibus contegimur, communes quodammodo dici poſſunt, ſive uſuum rationem animadvertamus, qui fieri inde ſolent, ſive multiplices Artificum manus, a quibus accurate diſponuntur, et compinguntur, antequam proprii illius fiant, qui data pecunia ſibi eos emit. Ita de aliis ſentiendum rebus, quae utiles eſſe privato cuipiam neſciunt, quin vel Pluribus magnum

adfe-

adferat emolumentum. At quis dicat, privatae tantum utilitatis nomine tale aliquid eſſe iuſtum, aut honeſtum?

Experientia compertum eſt, utilitatem hanc in varietate tanta verſari, quot variae ſunt Hominum neceſſitates, atque rationes, ex quibus intelligimus, quod utile Vni eſt, ac proinde unice ab eo diligitur, incommodum omnino eſſe, nocivumque Alteri, ac proinde ab eo propulſari. Quare, ſi utilitati huic tantummodo conſulamus, neceſſario ſequitur, honeſtatem, iuſtitiam, Virtutemque non ſolum rebus inhaerere ambiguis, variis, atque inſtabilibus, verum etiam contrariis inter ſe, ac prorſus infenſis. Atque hinc lex Naturae, quam conſtantem eſſe, immutabilem, aeternamque didicimus, utpote quae a Deo ſancita, et conſtituta eſt, in eadem per-

permanere constantia, stabilitateque non poſſet.

Praeterquamquod, quam graves ruinae, atque acerba infortunia, Humano generi imminerent, ſi ſuarum Quisquis cupiditatum ſtimulis concitatus, ſibi tantum indulgeret, eosque ſibi ipſi moderari pateretur, propriamque utilitatem utpote a fontibus Naturae hauſtam, adamaret, eamque amplecteretur ut rectam, ut honeſtam, ut ſanctam? Tunc bella, rapinae, incendia, interneciones, proditiones, atque eiuſmodi alia flagitia, ubivis gentium micanti quodam ſcelere, ac pompa triumpharent, atque ad caelum eveherentur, omnibusque probarentur, ut res perutiles, et a ratione ipſa confirmatae, ac praeſcriptae. Atque in hac rerum everſione, et ſquallore, quodnam ad gloriam ſupereſſet incitamentum, qui pateret ad

Vir-

Virtutem aditus, qui locus ad magnitudinem animi, atque ad clementiam? Maiorem ſibi in hac tam miſera conditione laudem uſurpaſſet perditiſsimus ille Faliſcorum magiſter, qui Pueros, ſibi in diſciplinam traditos, *Camilli* in poteſtatem dedit, quam erectus hic ad Virtutem Romanus, qui munificentia incredibili orbatis Parentibus Pueros illos reſtituit. Pluris *Epicteti* Dominus eſſet faciendus, qui, animi relaxandi caussa, crus Servo infregit, quam Servus ipſe philoſophus, qui fronte hilari acerbitatem ferebat doloris.

Quid vero? An deſunt permulta, quae per ſe ipſa rapiant ad benevolentiam, nulla ducente, ac perſuadente, utilitate? *Pylades Oreſtem* diligit, amicitiae ſibi foedere coniunctum. *Themiſtocles* renuit arma in Patriam ferre, propterea

quod,

quod, licet exul, meminit ſe eſse civem. Atqui, ſi ad peculiarem tantummodo utilitatem habenda esset ratio, deſerendus erat *Pyladi* vir furioſus, et periculoſus, a quo nihil expectandum erat, praeter calamitatem. *Themiſtocles* vero poſtponere Patriam, ne dicam, adiſse, debuiſset, quum ab ea, fortaſse immerito, ostraciſmi poena mulctatus eſset. Sed quid multa? Nonne certum est, amorem illum, quo liberos ſuos optimi proſequuntur Parentes, adeo purum eſſe, atque tenerum, ut ab iis nihil praeterea desideret? Solent etenim Parentes filios considerare ut ſui dimidium, atque iccirco tantum operis in illis edocendis impendunt, quantum curae ad ſua negotia obeunda detrahunt; imo vero, quum propter naturae affinitatem, et coniugationem, liberi cum Parentibus quid unum

conſtituant, ſit, ut etiam poſt mortem Parentes in liberis ſe conſervare, vitam perpetuo vivere, atque in dies quasi reviviſcere arbitrentur.

Utinam tamen cum *Carneade* perniciosiſsimae simul corruiſsent eiusdem opiniones! ſed quod maxime dolendum illud est, ex hac ipſa utilitate in obliquam partem deflexa, duo periculoſa erupiſse ſeculi incommoda, quae ad perniciem pene, atque exitium, Virtutis amplitudinem adegerunt. *Machiavellius* imprimis eſt nominandus, qui corruptam hanc, et pestiferam utilitatem in aulas Virorum Principum auſus importare, eos docuit novam quamdam, et ante illud tempus numquam auditam a perpolitis Nationibus Politiam, qua nihil absurdius concipi poteſt. Alter eſt *Hobbeſius*, qui eam ad Cives,

ves, et Populares blandiori quodammodo manu deducens, latiſsimam iis ad flagitia omnia aperuit viam, ut sese ſalvos, atque incolumes, conſervarent.

Rex, ut fertur, Philoſophus studium ad refellendum adiunxit auctorem, quem primo innuimus, neque a Regum ſapientia longius aberrare duxit, in *Machiavellium*, qui diadematis maieſtatem improbis infecit inſtitutionibus, arma contorquere, quibus ille uſus est ad architectandam tyrannidem. Quid enim, boni ſuperi! effingi poteſt odio iſto vituperabilius, quo criminum hic artifex, ſuasorque, totum exagitat Humanum genus? Eo enim devenit (calliditatis, ne dicam, an impietatis?), ut opinaretur, Principem novum (ſic enim *Caeſarem Borgiam* appellat, qui potius inter Tyrannos recentiores principem tenet lo-

eum) in ea constitutum eſse neceſsitate, ut, ne deturbari a provincia poſsit, quam nuper armis invaſerat, in eam irruat, eam depopuletur, et ſolo aequet. Nulla ratione ad iuſtitiam, pietatemque habita, omnia docet eſse igne comburenda, omnia quatienda ferro, profliganda omnia, atque proſtranda. Sed quid ſibi vult veterator iste? Oſtendat, amabo, in hoc tam calamitoſo quarumcumque rerum caſu praegrandem, quam iactat, utilitatem. Quos fructus percipere, quae commoda acquirere victor poteſt ex vaſtatis undique regionibus, e provinciis expilatis, ex urbibus, frequentia Civium exutis? Age vero, fac Regem infaecundiſsimo arenoſioris Lybiae ſuffectum imperio, ac Principem incultiora Garamantum, aut Getulorum, deſerta loca occupantem, et poſsidentem, num *Iro* aeſtimandus

dus erit lautior, aut locupletior, homine, ut accepimus, mortalium omnium pauperrimo?

Moschorum imperium tam vastum, quam quod vastiſsimum, quamquam pluribus locis aëris clementia, et benignitate ſoli perfruatur, tamen non eſse cum Belgicis Provinciis comparandum, omnes animadvertunt rerum politicarum Scriptores. Nam inſulae ſeptem illae perbeatae anguſtis quidem limitibus circumſcribuntur, ſed Respublica, quae ex illis coaleſcit, firmiſsimis opum nervis viget, florentissimum alit Populum, ornatum industria, artibus perpolitum, commercio ditatum, ſuapte vi fortiſsimum et invictiſsimum, nihil metuentem, omnia pertentantem, laboris patientem, atque tanto foedere concordem, ut opulentioribus regnis indomita Virtute formidandum ſe praebeat.

Ex quo plane intelligitur, imperium, qualecumque sit, aut statum Reipublicae, neutiquam vigere, vel ob ingrati ſoli latitudinem, vel ob vacuitatem rerum et Populorum, ſed ob affluentiam Accolarum, divitiarumque copiam, et, quod caput est, ob magnitudinem commercii, quod ad extremas uſque detecti Orbis oras ultra citraque provehitur. Videat igitur *Machiavellius*, an Regibus, Principibuſque Viris expediat potius terras depraedari, conflagrare domos, evertere urbes, quam eas, postquam conquisitae ſunt, ſartas, tectas, integraſque conſervare: videatque praeterea, an gloria Principum ſit, ut utilitatis intemperantiae faveant, flamma ferroque exagitare, nulla vero felicitate cumulare, beneficiiſque exornare ſubditos Populos, qui, quum Homines ſint, ad humanitatem

tem

tem ſunt nati, ad ferendum vero exitium non item. Sed haec fuit temporum, quibus *Machiavellius* vixit, miſeranda conditio. Ambitioſa enim dominandi libido ita pervaſerat quorumdam Principum animos, ut in nefas proni, omnia ſibi licere, regnandi cauſsa, iudicarent. *Hobbeſius* tamen, *Platonicae* (*g*), cuiusdam hypotheſeos instaurator, perpetuum ſibi confingens bellum Omnium adverſus Omnes, noſcit in Homine quolibet desiderium, neſcio quod, adeo vehemens propriae conſervationis, ut ubi aliquis in deteriorem partem acceſserit timor, tum nullam amplius Virtutem, nullam honestatem, nullamque legem habere locum arbitretur.

Verum, ut par erat, minime fortaſse conſideravit, in civili statu,

(*g*) Lib. 1. leg.

prae ſui ipsius conſervatione honorem eminere in Humano pectore, atque ideo unumquemque Hominem, qui sese ipſum tueri cupit, non tam cupere diuturniorem vitae productionem, quam dignitatem, et formam honoris, qui magis convenire rationi videatur. *Cleopatra*, ludibrium ſuae dignitatis peroſa, ne, poſt victum *Antonium*, in triumphum duceretur, in brachii ſui vulnus adacto aspidis veneno, ſese peremit. *Socrates*, ne fugae ignominia ſanctitatem vitae pollueret, mortem hauſit e poculo, et fato ceſſit. Quid memorem *Thraſeam*, qui ab Amicis hortatus, ut aliquanto lenius cum *Nerone* ageret: Tantine, inquit, faciam unum, aut alterum vitae diem, ut infami dedecore memoriam ſempiternam nominis inficiam?

Quod

Quod ſi de Homine, in ſtatu etiam Naturae ſito, ſermonem habeamus, neſcio quo pacto *Hobbeſius* auferre, atque extinguere omnino velit blandam illam, et ſuaviſſimam, amoris propenſionem, qua Quisque ſui ſimiles adiuvat, eisque opitulari, quum occaſio detur, non praetermittit. Auctor libri (*b*), qui de origine Hominum inaequalitatis inſcribitur, Auctor, inquam, iſte notiſſimus, qui naturalis parſimoniae ſtudioſus paucula tantum, et illa quidem leviſſima, concedit Homini, quem vocat, *Naturae*, *Hobbeſium* carpit, quod principium hoc maximum non adtigerit in Omnium animis impreſſum, et Cuilibet datum, atque conceſſum, ut Quiſque amoris ſui feritatem, hoc eſt nimiam cupiditatem ſe conſervandi, frangeret, ac temperaret. Ego

(*b*) Rouſſeau De l'inegalité des Hommes.

Ego vero pietatem illam, ſeu commiſerationem, intelligo, quae in Omnibus excitatur, quum obviam venerit Quiſpiam aerumnis fractus, et magnitudine doloris confectus. Videor enim mihi videre ſaevissimam de improviſo e latebris erumpentem feram, edendi rabie furentem, mortem oculis minitantem, adorientemque Puerum inter ulnas Matris plorantem. Praesto adest Venator, fortuito lustrans nemora, qui, nulla mora interposita, anxius, atque ſollicitus, ad opem convolat, conclamat, feram persequitur, manusque contra ipsam conserit. Agesis, quaeso, quodnam Venatori sit propositum bonum, ut ad commiserationem tam cito commoveatur? Nullum credo, imo vero hanc ipsam misericordiam anteire arbitror desiderium ſese conservandi, nam aut in certissimum

ſese

ſeſe praecipitat periculum vitam amittendi, ut ſuccurrat Puero, aut irrequietus huc illuc agitur, si nullo modo incolumem Filium Parenti poſſit reſtituere.

En igitur quemadmodum hic tam simplex Naturae motus antecedat cogitationem toties dimicandi, quoties Quis nactus fuerit occasionem sese defendendi: et quemadmodum ad pacem potius nati simus, quam vi quadam ingenita ad bellum provocati, quum Homo naturaliter ad pietatem, commiserationemque rapiatur, ex qua veluti ex fonte omnes proficiscuntur Societatis Virtutes, quas *Hobbesius* non modo infirmare, verum etiam penitus eradicare contendit. Magnitudo animi, humanitas, clementia, benevolentia, et ipsamet amicitia, quid enim aliud sunt quam pietas diverſimode accepta, et caro quodam

in-

infixa capite, a quo dolorem abeſse omnem percupimus, et constante semper felicitate donari?

Id fortasse *Hobbesium* ipsum cognovisse suspicor, quum in statu Naturae genera distinxit Hominum duo, iudicaritque alios modestos esse, iustosque virium aestimatores, alios vero arrogantes, atque iniustos suarum aestimatores virium. Sed nusquam animadvertit, ut Clarissimus notat Auctor (*i*), se in manifestam incidisse contradictionem, atque hoc modo vacillantem prostravisse tantae molis constructionem. Nam ſi existunt in statu Naturae eiusmodi Homines modesti, rectique suarum virium aestimatores, paratam profecto non debent in Alios habere laedendi voluntatem, atque ideo proni erunt naturaliter, atque in-

(*i*) Gerdil. Introd. alla Religione.

inflexi, ad Societatem ob naturale quoddam potius amoris initium, quam timoris. Hinc desiderium illud usurpationis, et contentionis; quod arrogantium Hominum proprium est, oriri secus non poterit; atque ab iniusta, qua occupantur, suarum virium aestimatione.

Iam vero quis horum videatur laudabilior? quis dignior? quis gratior? Modestus, an arrogans? Iustus, an vero iniustus suarum virium aestimator? Huic assentiri *Hobbesius* plane non potest, consulto enim adserit, rationem, ob insitum in Omnibus deſiderium tute, tranquilleque, vivendi, compulisse Homines, ut iuri suo cederent. Itaque, quum per *Hobbesium* pacis conditio ſit conditioni pugnae anteferenda, propter hanc iuris proprii abdicationem, quam ratio suasit, modestia, ex qua naturaliter pro-

profluit status pacis, erit etiam anteferenda, utpote convenientior rectae rationi, ideoque melior arrogantia, iniustaque virium aestimatione, ex qua turbidus seditionis status exoritur. Porro, sicuti omnia, quae suapte natura bona sunt, ea etiam honesta esse intelligimus; ita, antequam Homines in Societatem coalescerent, necesse est, ut *Hobbesius* cognoscat modestiam, et virium aestimationem iustam, propterea quod est veritatis ſimillima, simillimam pariter eſſe rectae rationis, ac proinde iuxta mores honestam: contra vero inhonestam omnino arrogantiam, atque iniustam virium aestimationem.

Quare fateatur oportet, Virtutem, seu iusti iniustique cognitionem, ex intrinseca oriri vi, atque appulsu naturalis rationis, ac propterea turpissimum esse, atque in-

di-

Digitized by Google

dignum Homine rationali, illud frequenter usurpare, Virtutem nihil aliud esse, nisi *magni nominis umbram*.

Hic mihi contrahenda essent vela orationis, sed restat adhuc *Helvetius*, qui sibi aliquid vindicat, quum male de Virtute loquutus sit. Hic parvi pendens primaevam boni vel mali, iusti vel iniusti, differentiam, nihil integritatem vitae, nihil iustitiam, probitatemque esse iudicavit, quam effectum a *ſensibilitate* (*l*), ut ait, *phyſica* productum, atque ab utilitate generatum. Pauci enim sunt, inquit, quos arctis Religio veluti sepimentis contineat. Bonis tantum legibus ad Virtutem formantur Homines. Scientia morum, et legislatio quid unum idemque constituunt. Morum depra-

(*l*) Helu Lib. 1. Esprit.

pravationem, corruptionemque, infinitis pene Regionibus probatam, legibus patriis, et religione quadam acceptam, consecratamque, ex historia comprehendimus. Quod ut confirmet, furtum exemplo adducit apud Lacedaemones non solum permissum, verum etiam ratum, et remuneratum; sicque alia enumerat exempla Populorum agrestium, qui vitia probatu digna iudicarunt, Virtutesque omnino repudiarunt.

Quod optima legum latio per se possit Homines ad Virtutem erigere, libenter *Helvetio* concederemus, si ad caput iret omnium naturalium, civiliumque legum, quod praeter Deum, eiusque constantissimam voluntatem nil esse potest. Observentur omnia, quae nobis praescripta sunt a supremo Legislatore Deo, quid inveniri possit per-

fe-

fectius? Hoc vero principium longe saluberrimum torquet *Helvetius*, leniterque illud ad humanam tantummodo inflectit legislationem, atque urget, Virtutem nihil significare, quam *habitum quemdam actionum, quae Nationi, cui quispiam addictus est, utiles esse dignoscuntur.* Verum illud est animadvertendum, quod, quum leges civiles fundamento innitantur dumtaxat publicae utilitatis, eae non secus sunt aestimandae, atque si generalis tantum essent politiae dispositiones, quarum finis non is quidem est, ut Homines ad veram perducat Virtutem assequendam, sed ut ipsos sub excelso earumdem dominatu, et servitio constituat. Terroris revera, et minarum plena, praecepta, quae manant ex edicto, sive aliquid imperent, sive prohibeant, vis coactiva, qua publici Administra-

tores tamquam satellitio incedunt armati: tacita rationis submissio, summaque reverentia, qua quisque ea suspicere debet et venerari, sunt res eae, ut *Barbeyracius* (*m*) autumat, quae numquam animum mulcent suapte natura morosum, atque adversum iis legibus, quae aliquid abiectionis prae se ferunt, et servitutis. Itaque leges sunt potius ad timorem incutiendum, quam ad persuadendum accommodatae: vallo potius, et munitionibus circumseptae, vitiorum alluviones impediunt, quam dulci quodam cursu Homines ad eas libenti animo exequendas vehant. Absit timor, violantur mox, et conculcantur. Id quod clarissimum indicium est, leges interiorem Hominis partem, ingenium nempe, mentemque, fle-

cte-

m) Sur la permiss. d es Loix.

ctere nullo modo posse, atque ic'circo nullum habere sibi finem propositum, dum promulgantur, nisi ut tranquillitas publica nihil detrimenti capiat. Definitio ipsa, quae *Helvetio* arridet, Virtutis, dum asserit, eam esse *habitum quemdam actionum utilium Nationi, in qua quis est constitutus*, meam confirmat sententiam. Legislatio enim, quotiescunque vitiosas res vetat, non eas vetat, ut dictum est ante, perinde ac si naturaliter sint vitiosae, sed quia nocent Reipublicae, aut privato cuipiam Homini. Quod si interdum accidit, ordinationes suas aliquam cum Virtute coniunctionem habere, non id est accipiendum, quod eas proponat, ut res plane sanctas, planeque perfectas, sed utpote utiles, atque aptas ad commune bonum conservandum.

Quare, seu iustae credantur leges, seu secus, seu bono observentur animo, seu contra, modo quidquid praecipiunt, fiat, iam acta res est, tuta est societas, nihil amplius desideratur. Certum est igitur, Humanam legislationem tribunal quoddam constituere a Virtute omnino separatum. Et quamquam possunt aliquando simul copulari, ad certumque finem dirigi, tamen, si ultra paullulum progredi eveniat, victoria Virtutis est, non vero legislationis. Nulla enim civilis lex vim tantam habet, malum in bonum, aut turpe in honestum, permutandi. Iura civilia permittunt inverecunda quaedam, atque indecora, Virtus nullo modo. Quam ob rem mirum esse haud debet, *Lycurgum* (si hoc verum quidem est) furtum permisisse, quum Spartanum Populum ad bellum insti-

stituere voluisset. Ferox quidem consilium! sed furti permissio, vel potius impunitas, non est profecto criminis adprobatio, nec vitii in Virtutem commutatio. *Lycurgi* voluntas in eo defixa erat, ut Lacedaemones pervigili semper, et numquam intermissa, cura dies noctesque bona tuerentur, quae Omnibus erant communia, et Singulis aequaliter distributa. In perfecta conditionis frugalitate, atque aequalitate, qui suos transiret limites, alienum arripiebat. En igitur quemadmodum quaestio tota ad ambiguitatem nominis, verbique iocum, refertur. Furabatur quidem qui suis e limitibus excederet, sed furtum, sublata verbo iniuria, aeque sonabat atque supplicium, quo punirentur ignavi, qui non satis operis, solertiaeque, impendebant ad insidiatores callidos repellendos.

Ceterum Nonnulli ambigunt, Aliique negant absolute, legem eiusmodi pactam a *Lycurgo*, conventamque fuisse. Factum ipsum, cui nititur *Helvetius* ad eam corroborandam, addit ambiguitati momentum non levis dubitationis. Omnibus, inquit, compertum est, quod in vulgus emanavit de Iuvene illo Spartiata, qui, quum parvulam vulpem furatus esset, eamque sub palliolo abdidisset, captus inde, constitutusque reus, tantum abest, ut furtum confiteretur, quin intolerabili dolore ventrem ſibi lacerari malluerit.

Porro ipse inquio, ſi vera esset isthaec Spartanis concessa furandi facultas, cur, quaeso, ablatam vulpeculam celavit insanus Adolescens, atque ſibi tam graves adsci-vit poenas, ut cruciatus potius perferret, quam silentium proderet?

Vna

Digitized by Google

Vna restabat, ut ab angoribus, ac molestia, se liberaret, furti significatio, qua bene de lege patria meritus videretur; ex quo fieret, ut, patefacto facinore, ſi nihil a Iudicibus praemii accepisset, gloriolam saltem aliquam, laudemque promereri potuisset. At mortem subire, et furtum occultare, lege permittente, minus pertinaciae vitium est, quam stultitiae; id quod evincit manifestissime, ipsum poenam magis reformidasse, quam expectavisse furti remunerationem. Vitium quaerit sibi latebras, Virtus contra iacet sub dio.

Ex his, quae diximus, satis demonstratum censeo, iura civilia, et morum disciplinam, unam non esse, eamdemque scientiam, sed suos utraque habere ordines, diversaque instituta. Falsum illud praeterea, morum corruptelam, depra-

vationemque Religioni probatam fore, ut *Helvetius* pariter sibi fingit. Religio unam docet omnes Homines, excepto nemine, morum integritatem, unamque iustitiam. Habent aliquid superstitionis Asiaticae ceremoniae, Africanae vero ridiculi plurimum. Absurdi sunt ritus, absurdi multarum Nationum cultus, atque habitus, dissitaeque a nostris consuetudines, sicuti et voces absonae. Sed praeceptorum ratio, doctrinaeque documenta plane tolerabilia.. Illos, quos vocant *Dervichos*, *Bontios*, *Phachyros*, *Talapoinos*, constat ex historia, praeclare ex edito loco sic esse conclamare solitos: *Agite*, *ut iustos decet*, *et beneficiis miseros cumulate*: *Guebrios* vero, *Imanos*, *Incas*, *Mirabonas* aequitatem depraedicare, probitatem, moderationem, vitamque morigeram Populorum animis in-

inculcare, testantur omnes memoriae. Frustra omnino obscura quaedam Itinerantium commentaria describunt Orientis Sacerdotes non aliter, atque essent iniquissimi impietatis antistites, perditissimique scelerum omnium praecones. Aderunt, non inficior, intemperantiae, aderunt sacrilegia, aderunt vitia, sed numquam isthaec laedunt, corrumpuntve, castitatem, purissimamque Religionis sanctitatem. Nam fieri omnino non potest, ut religiosa inveniatur Societas, quae turpibus lenociniis ad libidinosam infamiam, inquinatamque vitam traducat. Quod spectat ad solivagos, incultosque, Populos, quibus innixi tum *Helvetius*, tum alii Philosophi solent firmamentum repetere suarum contentionum, assentior non invitus, leges habere quasdam male comprehensas, bar-

baras, inusitatas: id quod clarissime ostendit, eorumdem legislatores eo minus esse cum nostris comparandos, quo longius a sapientia recesserunt, et a communitate legum naturalium, quae in Omnium animis ab ipso rationis lumine inscribuntur. Verum non officit, quod *Auctor Spiritus*, aut alius quispiam, Sylvicolas illos rudiores esse confingat, atque crudiores quam quod sit opus. Nequaquam enim, ait *Maupertuisius* (*n*), Populi illi, qui nobis fama, et peregrinatione, cogniti sunt, quique abditi, atque interclusi nemoribus, duram, asperamque, vitam ducunt, nequaquam inter animalia ratione carentia sunt conlocandi. Habent Illi suas leges, quae a legibus non differunt Ceterorum, nisi ob maiorem, aut mino-

(*n*) Elog. de Monteſquieu.

norem Legislatorum sapientiam. Omnes communiter senserunt, privatum unumquemque suae, qua gaudet, felicitatis partem tribuere felicitati debere illius Societatis, cuius ipse pars est.

Quum enim et ipsi sint Homines, Hominum reliquorum simillimi, non vero bruta, ut perperam effinguntur, animalia, nescio qua mentis imbecillitate, aut errore, toto et ipsi non incumbant pectore, ut meliores evadant, si verum esset, ut fertur, acerbam adeo esse, atque lacrimabilem eorumdem conditionem.

Certum enim est, Gallos, Britannos, Europaeosque alios plurimos lares domesticos, et Patriae commoda deseruisse, ut in illorum nemora, tamquam in dulcem secessum, quietumque portum, sese conferrent, utque in his tranquil-

lio-

lioribus, atque ab omni tumultu remotis, sedibus vitae solatio fruerentur. Imo vero novi quemdam, necessitudine mihi coniunctum, Virum, qui, quum plures annos apud illos vixisset, reversus demum ad suos, nec tamen de Patria valde sollicitus, tempus desiderio maturabat, quo navem posset conscendere, ad easque Regiones remeare, ubi frugalitatem inter, et simplicitatem morum, illius vitae momenta duceret, qua nullibi arbitrabatur fieri beatior. At, quamquam ex *Canadenſibus* in Angliam plures, pluresque in Daniam ex *Groenlandis*, et *Caffares*, ut aiunt, et *Zanguebarenſes* innumeri in Belgium transvecti sunt, eaque de caussa transvecti, ut scientiis, artibus, cultiorique nitore, et palaestra imbuerentur, omnes tamen inter luxus illecebras, et magnificentiae,

inter

Digitized by Google

inter delicias epularum, et rerum omnium redundantiam, quum sese moribus Europaeis accommodare nequaquam possent, moerore absumti, atque aegritudine, omnes, inquam, non multo poſt tempore interierunt. Sunt igitur dispares Populorum mores, non autem Virtutes. Vitia cuiusque generis semper exſtabunt, et ubique locorum ac gentium, quoad extiterit Humanum genus. Verum enim vero non in eam partem id accipiendum est, perinde quasi nullae sint leges, nullaeque institutiones, quibus edocti, formatique ad bonum incendamur. Improbi etiam Homines, planeque scelerati, vellent, si fieri posset, ut *Fontenellius* (*o*) adnotavit, suorum scelerum fructum percipere, quin essent scelesti. Hinc intulit, quantum

(*o*) Dial. V.

tum ad rectum attinet Hominum institutum, conscientiam, seu lumen rationis, tutissima iudicia in omnes ingerere, sed id accidere mali, quod eius consilia, salutaresque voces, minime ab Omnibus audiantur.

Itaque fateri oportet, subdit *Barbeyracius* (*p*), (quamquam hoc ad dedecus dictum, atque ignominiam, Humani generis), hanc scientiam, quae praecipuum esse videtur negotium, in quod Omnium ferri studia deberent, et voluntates, semper post Homines natos neglectam, ac pene desertam fuisse. Atque haec est potissima caussa, ex qua in Hominum mentes tanta eiusdem oblivio irrepserit, atque ignoratio. Accedit eodem immoderatus, et numquam compressus noſtrorum ipſo-

(*p*) Préface au Puffend.

ipsorum amor, nefarium caput vitiorum omnium, quibus se dedere, malo quodam fato, pleniorem Mortalium partem intuemur. Neque in dubitationem revocari poteſt, Humanum ingenium humorum temperiem sequi, atque ad hoc, illudque, vitium naturali quodam impulsu flecti, atque incitari. Id probat luculentissime diversa Hominum natura, dissimilisque indoles. Alii enim sunt iracundi, furiosi, superbi, avari, suisque ita Quilibet infixus vitiis, ut vix ad sanitatem restitui possit. Alii vero liberales, urbani, mites, benefici, honesti, sentiunt, se ingenito quodam ardore, atque nisu, ad Virtutem rapi.

Verum quidem est, animas Hominum universas ab effectore, et molitore proficisci Deo, ac propterea vi, ac facultate ornatas omnino aequali. At, posteaquam inne-

ctun-

ctuntur, atque inseruntur, corporibus tam varie, compactis, et quasi coagmentatis, tamque mirifice constructis et constitutis, novam et ipsae induunt formam, habitumque percipiendi, et cogitandi, prout variae sunt, diversaeque membrorum dispositiones, constructionesque. Dies mihi deficeret, si enucleate vellem omnia complecti, quae apud celebriores anatomicarum rerum libros perlustrari possunt.

Itaque adversus Eos, quos nominavimus, aliosque id genus Philosophos, qui mentis aciem in id maxime videntur intendere, ut Hominem infringant, prosternant, ac pene consepultum cum Humanae rationis reliquiis velint, firmum, conclusum, exploratumque habeamus, Virtutem non esse vacuum nomen, aut opus elaboratum, atque confictum a Populorum creduli-

dulitate, vel opinione, sed Omnibus probatam, ratam, susceptam; animorumque omnium consensione confirmatam, et iudicatam a primo usque statu, ut genitam, atque procreatam ab illa parente, institutrice, atque domina mentis, Ratione, quam summus Naturae auctor in nobis impressit Deus.

Haec illa est, cuius adiumento iustum ab iniusto, honestum a turpi, a bono malum decernimus. Potest illa quidem corrumpi, atque infici, vel ob notabile mentis vitium, vel ob spirituum animalium perturbationem, vel ob sanguinis effervescentiam, vel ob civilium regiminum legislationem, vel ob educationis disciplinam ac formam, vel ob ciborum disparitatem, vel aëris temperationem, vel regionis situm, vel denique alias ob caussas qualescunque tum physicas, tum mo-

Digitized by Google

morales, naturae Humanae. Sed Hominis proprium est, quum tot praesidiis atque ornamentis munitus sit, nulli adversitati cedere, neque se ipsum in servitutem effraenatarum commotionum redigere. Felix qui ausit! sed bene, fausteque audebit, comite, atque administra Virtute.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

b.00565 4056

Digitized by Google